



Continuatio in hoc libro

- 1 Disputationes 24. In Confessione August. ^{Hutteri}
- 2 Sadnel Eluciforano nos disp. 1.
- 3 Axiomas brevis de sacro physico casu in diuinis M. Fied. 3 Alduini
- 4 Disp. de Prae. Actu tum p[ro]p[ri]o tum officio. Hofmanni.
- 5 Disput. 1. de Coena Dni. eisdem. assertes ^{de p[ro]p[ri]o & m[ul]ta}
- 6 Disput. 4. de Coena Dni. Hofmanni. ^{de p[ro]p[ri]o & m[ul]ta} ex cap. 1 Cor. 10.
- 7 De notis actus & voluntatis ipsius Hofmanni
- 8 Drey vnterschiedliche beschreibungen an d[ie] Consistorium zu
Leipzig, vnter ab[se]ndung des Exorcismi
M. Georgij Lystarij.

Geß

Sammelband

30

DISPUTATIO XXIIII.
& Ultima.

De
CVLTV SANCTORVM

Ex Articulo XXI. & ultimo Confessionis
Augustanae.

ad cujus positiones

Sub Praesidio

LEONHARTI HVTTERI, S. Theol
logiae Doctoris, & Professoris publici:

Respondebit

M. JOHANNES HERMANNUS
Oetingensis Rhetus.

Mense Majo, horis locoq; solitis.



WITEBERGÆ,
Typis M. Georgij Mulleri,
Anno clb Is XCVIII.



MAGNIFICO, AMPLIS-
SIMO ET CONSULTISSIMO
VIRO, DN. IACOBO HEINERO V. I. D.
Inclyti ac Generosi Dn, Domini Godefridi
Comitis in Oetingen &c. Cancellario dignissimo.

Reverendo & clarissimo viro, Dn. Eber-
hardo Herrnschmid, Ecclesia Oetin-
gensis orthodoxa Superattendenti
fidelissimo.

Nec non

Prudentia, virtute, autoritate, rerumq; usu con-
spicuo viro, Dn, Martino Schöplero, Illustri
ac Generoso Dno, Dno. Godefrido Co-
miti in Oetingen &c. à consilijs.

Domini, patronis ac fautoribus suis, omni reverentiæ
cultu semper suspiciendis,

Theses hasce dedicat & consecrat.

M. Johannes Hermannus.

DE CVLTV SANCTORVM.

Thesis I.



Nter reliqua controversiarum genera, quæ jam indè à reparatione doctrinæ Evangelicæ, hisce in regionibus, per B. Lutherum feliciter instituta, & latè propagatâ, nostris Ecclesijs cum Romanâ intercedunt, haud postremû est illud, quod de cultu & veneratione Sanctorum, sive beatorum cœlitum semper fuit agitatum.

II.

Hujus fœdissimam Idolomaniam Protestantes nostri postremò Confessionis suæ Articulo oppugnare: & saniores suarum Ecclesiarum doctrinam, firmis communitam rationum & scripturarum momentis exponere voluerunt.

III.

Prototypi brevitatem & perspicuitatem, quæ utraque Symbolorum nota propria esse debet, haud parum obscuravit variatæ editionis prolixitas, nec ob causas necessarias, nec etiam loco oportuno instituta.

IV.

Constat autem Articulus iste mera ὁμοιομερῆα: quæ tamen stylium ita informat, ut usitatam illam διχοτομίαν in θέσει & ἐντίθεσει facile admittat.

V.

Et θέσεως quidem quæstio circa nostrarum Ecclesiarum doctrinam de vero & licito cultu Sanctorum vnicè versatur: Ἀντίθεσεως verò ostendit, quid in hoc doctrinæ capite nostri damnent & improbent.

PARS I. καταφατικὴ ἔθελικὴ veram de cultu Sanctorum doctrinam exponens.

VI.

Initio autem notandû Sanctorum termino notari in hac quæstione, Beatos illos cœlites, qui nimirum piè in Christo defuncti, jam in fruitione spei suæ, licet nondum plenaria, versantur.

VII.

De his ergo quæritur: Non an sint honorandi: Nam hoc nemo nostrum unquam negavit: & in Cajanis ac Eunomianis, & similis farinæ homini-

hominibus impijs, jampridem profanum illum contemptum, nostri damnarunt, quo illi omnem profus memoriae Sanctorum celebrationem nefarie neglexerunt.

VIII.

Quorum impietati hodie haud parum patrocinari videtur gens Sacramentaria, Festorum solennitates & memoriam sanctorum Apostolorum, in Ecclesijs haecenus multis seculis usitatam, ausu proprio maximam partem tollens & abolens.

IX.

A qua sive impietate sive *δοξασοφία* merito abhorrent nostrae Ecclesiae, scientes communionem illam Sanctorum, quam in Symbolo Apostolico nos credere profiteamur, non hujus duntaxat vitae terminis circumscribi, aut illius vinculum, mortis temporalis interventu dissolvi posse.

X.

Verum illud in quaestione est, Quinam honor & cultus Beatis illis caelitis, salva Religione Christiana dependi a nobis & possit & debeat.

XI.

Ad quaesitum istud respondet Confessio nostra in hunc modum: *De cultu Sanctorum docent, quod memoria Sanctorum proponi potest, ut imitemur fidem eorum, & bona opera juxta vocationem: ut Caesar imitari potest exemplum Davidis in bello gerendo ad depellendos Turcas a patria. Nam uterque rex est.*

XII.

Memoriam igitur Sanctorum in Ecclesijs proponi posse ac debere, docent Confessores nostri: memoriae termino notantes laudem & virtutem, ac donorum Spiritus sancti, quibus praeter aliis illi inclaruerunt, praedicationem & celebrationem.

XIII.

Et hoc est illud quod Psal. 112. 7. Iustus in memoria aeterna futurus esse dicitur: & Proverb. 10. 7. eadem justis memoria cum laudibus & in benedictione fore. Et Maria se a generationibus universis beatam praedicandam esse asserit. Luc. 1. 48. Et Servator, factum mulieris, caput suum inungentis, cum memoria ipsius in universo mundo celebratum iri praedicat, Matth. 26. 13.

XIV.

Hoc modo Patriarcharum plerorumque memoriam coluit Stephanus Actor. 7. & Apostolus Paulus, Patriarchae Abrahami, fidem ipsius magnifice extollens, Roman. 4. & Epistola ad Hebraeos, multorum Sanctorum elogia bene longa pertexens.

ER

XV.

Est verò isthæc memoriæ Sanctorum celebratio non in solis Sanctis terminanda; sed ad autorem bonorum omnium DEVM referenda; cui agendæ sunt immortales gratiæ pro ipsius clementia & misericordia, quæ genus humanum complectitur, eligens ex eo tot salutaria Ecclesiæ organa.

XVI.

Hoc enim est, quod Psaltes regius præcipit, ut laudemus DEVM in Sanctis ipsius, Psal. 150. 1.

XVII.

Neque verò forma isthæc cultus memoriæ Sanctorum prohibet, quò minus etiã vitia & lapsus, quibus illi hac in vita fuerunt expositi, commemoremus.

XVIII.

Latent enim in ijs tum humanæ infirmitatis exempla, tum divinæ misericordiæ documenta: tum denique poenitentiae specimina longè luculentissima; quæ ad institutionem nostri plurimum momenti obtinere solent.

XIX.

Exprimit verò Confessio nostra cultus hujus memoriæ Sanctorum, Causam etiam finalem; quæ est, ut fidem ac bona opera, quibus Sancti excelluerunt, imitemur.

XX.

Nititur hæc assertio perspicuis scripturarum testimonijs. Hebr. 13. 7. Mementote præpositorum vestrorum, qui vobis locuti sunt verbum Dei, quorum intuentes exitum conversionis, imitemini fidem. Et Heb. 6. 12. Imitatores estote eorum, qui fide & patientia hæreditant promissionem.

XXI.

Habet verò imitatio isthæc suam restrictionem & προσδιορισμόν, ne videlicet stulta κακοζηλία, indiscretè omnia in universum facta & opera Sanctorum in exemplum & ad imitationem raplenda esse, opinemur.

XXII.

Sunt enim etiam ipsorum opera nonnulla mala, & in parte vitij collocanda: quæ imitari non licet: Sunt deinde motus heroici, personales actus, mandata singularia: qualia fuerunt, factum Phinees, Num. 25. Abrahæ filium immolaturi, Gen. 22. Petri super aquas ambulantis.

A 3

Matth. 1.

Matth. 14, 29. & similia quæ ab imitatione excipiuntur. Sunt etiam miracula, quæ Sancti illi ediderunt; quæ imitari non possumus, si velimus maximè.

XXIII.

Quam ob causam Confessio nostra, Imitationem istam juxta ejusque vocationem instituendam esse admonet; ut nimirum unusquisque dignè sua vocatione ambulet, 1. Cor. 7, 20. Eph. 4, 1.

XXIV.

Imitabitur ergo quisque in genere ea duntaxat, quæ sunt communis religionis propria, & sic fidelium omnium communia: Quo in censu sunt Fides, & Bona Opera: Vitabit contra in specie, quæ a vocatione sua sunt aliena: ut privatus vitabit, quæ regem decent: Rex, quæ Prophetæ propria: Propheta, quæ Regi invocatione sua propriè competunt.

PARS II. ἀποφατικὴ ἢ ἀντιθετικὴ: quid in cultu Sanctorum damnetur, ostendens.

XXV.

Partem istam sic informat Confessio nostra; Sed scriptura non docet invocare Sanctos, seu petere auxilium à Sanctis: Quia unum Christum nobis proponit Mediatorem propitiatorium, Pontificem & Intercessorem. Hic invocandus est, & promisit se exauditorum preces nostras, & hunc cultum maximè probat, videlicet, ut invocetur in omnibus afflictionibus. 1, 1ob. 2. Si quis peccat, habemus advocatum apud DEUM.

XXVI.

Excluditur igitur à cultu Sanctorum INVOCATIO, qua ab illis imploratur auxilium, ut vel ipsi in omnibus adversitatibus nos sua virtute & meritis custodiant: vel Intercessione sua à DEO impetrent, ut protectionis ejus muniamur auxilio, & omnis generis bonis donemur.

XXVII.

Hanc enim Idolomaniam, & horrendum superstitionis ἐσέλυμα scripta Romanenlium defendunt: & publica Ecclesiæ pontificiæ praxis confirmat.

XXVIII.

Et frigidum per quam ac frivolum est commentum quorundam Pontificiorum, qui abominationis hujus sacrilegam atrocitatem subol facientes, hisce pigmentis colorare eam laborant, ut dicant: Sanctos à se non

non adorari, sed implorari, non invocari, sed compellari: idque non ut Mediatores, autores, collatoresque beneficiorum: sed duntaxat ut intercessores, & interpretes apud *Deum*, quorum intercessione *Deus* motus, nostris precibus facilius & libentius annuat.

XXIX.

Protestationi huic ex aduerso repugnat, Canon *Missaticus*, in quo Romanenses sacrificuli orant & petunt, ut non tantum *Intercessione* sed etiam *Meritis Sanctorum* sibi dentur ea à *DEO*, quæ impetrare cupiunt.

XXX.

Quam precationem Gabriel Biel explicans, sic scribit: *Fiducialiter ad sanctos* recurrimus, eorum memoriam venerantes, ut nos fragiles & mortales, eorum *meritis* & precibus ad eorum immortalitatis gloriam pervenire, atq; eorum suffragiis perducì possimus de fide ad visionem, de spe ad rem, de stadio ad *ἑσπερον*, de via in patriam.

XXXI.

Idem Gabriel Lect. 30. in Can. lit. E. Credendum est firmiter, & nullatenus dubitandum, Sanctos in patria pro nobis intercedere nobisq; suffragari *merito, prece sive voto. Merito*, dum præcedentia ipsorum merita nobis suffragantur: prece vel affectu, dum vota nostra cupiunt à *DEO* impleri. Et lit. M. Subveniunt etiã nobis *Sancti recentibus meritis*. Nam oratione sua, licet non sibi, nobis tamen merentur beneficia.

XXXII.

Petrus Lombardus, l. 4. Sent: dist. 45. lit. G. eandem thesin Bielis defendit, Sanctos pro nobis intercedere asserens & *merito*, dum illorum merita nobis suffragantur: & *affectu*, dum vota nostra cupiunt impleri.

XXXIII.

Ex recentioribus Gregorius de Valentia, Sanctos nos omninò venerari, scribit, cum aut ab his, ut apud Dominum nobis suffragentur, petimus: aut ipsum etiam *Deum* oramus, ut illorum quoq; *Meritis* adductus, nobis quod optamus, impertiat.

XXXIV.

Testatur idem Praxis Ecclesiæ Romanæ, quæ in Festis Sanctorum ejusmodi hymnos, collectas, precumque formulas recitat, quibus ab ope & intercessione Sanctorum flagitatur, quicquid è salute hominum esse putatur.

XXXV.

Exempli gratia, D. Bartholomæum sic acclamabant: Te deprecor, ut me tuis pretiosis *meritis* liberares ab omni versutia, & damnatione. In die furoris.

furoris Domini, & in fine vitæ meæ, contra adversarios meos in *adjutorium* meum venias.

XXXVI.

Hinc illa impietas ortum suum traxit, ut singulis regionibus, peculiare quosdam sanctos, & Deos tutelares præficerent: imò singulis rebus, morbis & necessitatibus singulos & peculiare assignarent Divos.

XXXVII.

Vnde procreati sunt Quatuordecim Dij opitulatores (Nothelffer) quibus certæ procuraciones sunt commissæ: ut Valentinus Epilepsiæ medetur: Otilia oculis: Apollonia dentibus: Nicolaus & Christophorus succurrunt naufragis: Sebastianus pestem arcet. Florianus ignem, Gregorius equitibus præest. Antonius porcis. Leonhartus captivos liberat &c.

XXXVIII.

Constat idem ex Psalterio Mariæ, in quo, ad imitationem Psalterij Davidici, expuncto passim Dei nomine, ac substituto Mariæ nomine, eodem adorationis cultu Mariam, quo D E V M ipsum venerantur,

XXXIX.

Imò eò usque excreverunt impietatis, ut in eodem Psalterio Mariam non modò invocandam, sed & adorandam (id quod soli Deo competit, Iesa. 42, 8.) esse statuerint, ex Psal. 21. sic canentes: *Adorent te (Mariam) familiae gentium, & glorificent te omnes ordines Angelorum. Et ex Psal. 96. Adorate eam cives curiæ Paradisi, exaltate eam virgines speciosæ filiae ejus.*

XL.

Vnde passim in depravato illo Psalterio orant: In te, Domina, *speravi*, non confundar in æternum. In Domina *confido*, propter dulcedinem misericordiæ nominis ejus.

XLI.

Quin imò ipsius Christi Servatoris nostri, *Dominam* & Imperatricem eam constituunt, sic canentes: *Gaude matrona coelica, tu ancillam Iesu Christi te vocare voluisti: Sed & docet lex divina: Tu ipse es Domina. Nam jus habet & ratio, matrem præesse filio. Ergo ora suppliciter, & præcipe sublimiter, ut nos in mundi vespera, ad regna ducat supera.*

XLII.

Comprobat idem Litania Pontificia, qua omnes Deos, Deasq; longo ordine recensentes invocant, de quorum nonnullis dubium est, an unquam in rerum naturâ extiterint: vel si extiterunt, magis dubitatur, an in inferno vel cælo sint constituti. Confir-

XLIII.

Confirmat idem Formula absolutionis Papisticae, quae habeat: *Pas-*
so Domini nostri Iesu Christi, nec non & meritum beatissimae virginis
Mariae, Petri & Pauli, & omnium Sanctorum, praeterea quicquid boni
feceritis, aut mali sustinueritis, sint vobis in Remissionem peccatorum.

XLIV.

Eant nunc Romanenses, & se, non Mediatores, & Opitulatores,
sed ut Intercessores, & quidem non invocare, sed compellare duntaxat
Sanctos dicunt.

XLV.

Vbi illud etiam notandum, si vel maximè compellationis duntaxat
cultum, Sanctis tribuere Pontificios, concedatur: tamen ne sic
quidem impietatis & blasphemiae notam eas posse effugere.

XLVI.

Quia enim Sancti illi, non in terris hisce, sed in caelis cum DEO
agunt: certè ne compellari quidem à nobis illi poterunt, nisi statueri-
mus, eos exaudire posse omnes, quotquot ubiq; terrarum atq; gentium
illos invocant: quotq; corda scrutantur, dignoscentes suspiria, gemitus,
desideria: imò veram à simulata & hypocriticâ invocatione. Id quod
nihil est aliud, quàm honorem & idioma soli Majestati divinae debitum,
per detestandum sacrilegium, creaturis tribuere.

XLVII.

Et edisserant nobis Romanenses, num hoc sit compellare an verò
invocare Mariam & Sanctos reliquos, quando Papa Innocentius eam
jubet *invocare*, ut portum salutis, ut desperatorum *spem unicam*, ut pecca- *sess. 25. si-*
torum salvatricem magnificam: quando item Conciliabulum Tridenti- *ve sess. 9.*
num, mandat Episcopis, cæterisq; docendi munus sustinentibus, ut do- *sub Pio*
ceant, bonum atq; utile esse, *suppliciter invocare* Sanctos & ad eorum *III. habi-*
orationes, *Opem auxiliumq; confugere*: quando idem Conciliabulum san- *ta. d. 4.*
cit, eos impios esse, qui negarint, Sanctos in caelo regnantes voce vel *decemb.*
mente supplicare. An. 1563.

XLVIII.

Neminem profectò tam ab omni ratione alienum, tam stupidum,
rudem & bardum judicari, qui non intelligat longè aliud & diver-
sum esse, compellare vel alloqui Sanctos, sicut in his terris alter alterum
alloquitur: aliud verò *suppliciter eos invocare*, & quidem non voce duntaxat,
sed & *mente*, item, ad eorum *Opem, auxiliumq;* confugere.

XLIX.

Cæterum, ut ad Idololatriæ hujus refutationem propiùs accedamus, ostendit Confessio nostra, nullum in universâ scripturâ sacrâ extare præceptum, quo Sanctos invocare jubeamur.

L.

Similiter constat & illud, nullam prorsus extare promissionem, quæ vel DEO Sanctorum Invocationem probari, vel à Sanctis eandem exaudiri, confirmet: nullam item comminationem, aut supplicij commemorationem, qua Invocationem Sanctorum non præstantibus, vel constituta vel inflicta pœna à DEO fuisse cognoscatur.

LI.

Exemplum itidem nullum ex universâ historiâ sacra proferri potest, quo invocationis istius usus confirmari queat.

LII.

Consequens ergo fuerit, cum cultus iste Sanctorum qui in Invocatione consistit, scripturarum fundamentis prorsus destituatur: eum scripturis, ac proinde DEO ipsi è diametro adversari: id quod aliquot argumentis testatum facere, haud fuerit inconueniens.

LIII.

Invocatio est cultus Soli Deo debitus, & nequaquam hominibus ullis tribuendus, juxta illud Deut. 6, 13. & Matth. 4, 10. Dominum Deum tuum adorabis & illi SOLI servies. Item Ies. 42, 8. Gloriam meam non dabo ALTERI, Psal. 50, 15. Invoca ME in die tribulationis: EGO exaudiam te, & tu glorificabis ME.

LIV.

Iubet insuper scriptura, fidem sive Cordis fiduciam atq. spem ponere in SOLO DEO vivente, & servatore Iesu Christo. Ierem. 17, 5. Maledictus qui confidit in homine, & ponit carnem brachium suum.

LV.

Iam verò docente Apostolo, invocari nemo potest, in quo non simul etiam cordis collocatur fiducia: Quomodo enim invocabunt eum, in quem non credunt? Rom. 10, 14.

LVI.

Consequens ergò fuerit, cum nefas sit, Credere in Sanctos, nefas etiam esse, eosdem invocare: siquidem hæc duo, à se invicem divelli aut separari nulla ratione possunt.

LVII.

Propheta Iesaias idololatricum hunc Sanctorum cultum, ceu fortissimo

limo quodam ariete concutit & evertit, quando sic precatur, cap. 64. 16.
T V es pater noster. Abraham nescivit nos, & Israël ignoravit nos. T V
autē Pater noster, & redemptor noster es. A seculo hoc est nomen tuum.

L V I I I.

Neq, est ut obvertant, diversam esse rationem veteris Testamenti,
& quidem temporum Iesaiæ, quando nimirum Abraham, Israël & reli-
qui patres in limbo existentes, D E I visione caruerint: ac proinde res
mortalium videri, aut ab his invocari non potuerint: aliam verò eorum
esse conditionem, quando nunc per Christum ex limbo liberati, rerum
humanarum perfectè conscij, ac proinde cultus hujus capaces sint red-
diti.

L I X.

Nam i, figmentum illud de limbo Patrum est scripturis ignotum &
adversum, quippè quæ testantur, fideles ante Christi etiam adventum
hac vita sanctos, ad æternam illam & cœlestem vitam protinùs emigras-
se: id quod exempla Enoch, Moysis, Helix, Abrahami, Isaaci, Iacobi,
aliorumq; manifestè evincunt.

L X.

Et illustre illud est, quòd Helias (qui certè non in limbum Patrum,
sed in Paradisum translatus fuit) jam jam in cœlos subvehendus ait ad
Halixæum: Postula quod vis, ut faciam tibi, *antequam tollar à te*, haud
obscurè innuens, frustra postmodum à se, ex his terris ad cœlum trans-
lato, quicquam Helixæum petiturum esse.

l. 2. Reg.
2, 9.

L X I.

Sed ut pergamus in argumentando: Vnicus tantum est mediator
inter *Deum* & homines, Homo Ihesus Christus: Item unicus etiam est
advocatus sive Intercessor pro nobis, idem Christus Ihesus. 1. Tim. 2, 5.
1. Ioh. 2, 1. Ergo Sancti nec mediatores, nec Intercessores esse possunt,
ac proinde nullatenus invocandi: aut si invocandi, Dij sint necessum
fuerit.

L X I I.

Et elumbe prorsus est sophistarum commentum, quo distinguunt
inter Mediatorem Redemptionis, & Mediatorem Intercessionis: illum,
solum esse Christum: hos, esse Sanctos.

L X I I I.

Quemadmodum enim Christus solus & unicus est Redemptor: Ita
per eum Solum habemus accessum ad *Deum* patrem per fidem, Eph. 2, 18.
Rom. 5, 2. Qui etiam disertè exclamat: Nemo venit ad patrem, nisi per
me, Ioh. 14, 16.

X L V.

Impium ergò fuerit, relicto hoc intercessore, qui ad dextram Patris
residens,

residens, scit comparari infirmitatibus nostris; Hebr. 4, 15. ad Sanctos confugere, eorumque intercessionem petere: ac sic plus fiducia in hos quam in illum collocare, neglectoque fonte aquae vivae, cisternas, quae aquam non habent, effodere.

LXV.

Præterea invocari non potest aut debet, nisi qui vel naturam hoc jus obtinet, ut solus *Deus*: vel meritis suis illud promeruerit, iam verò Sancti non sunt naturam Dei: id quod Pontificij forsitan ipsi largientur: Non meritis suis hoc promeruerunt. Ergo invocationis cultus illis nullo modo tribui vel potest vel debet.

LXVI.

De meritis ipsorum, hoc in confesso est, non modò non superflua habuisse ipsos merita, sed ne quidem ipsismet sufficientia.

LXVII.

Peccatores enim fuere, & mansere, quamdiu lucis hujus terrenae usura sunt perfructi: Nec quisquam illorum legi DEI unquam perfecte satisfecit: ac proinde orare necessum habuerunt cum Davide: Domine ne intres cum servo tuo in iudicium: In conspectu enim tuo non est justus ullus vivens. Psal. 143, 2. Quin in solo merito Christi spem suam fixam locatamque habuerunt, suam iustitiam prorsus ceu pannum menstruatae derestari. Ies. 64, 21.

LXVIII.

Neque obstat, quòd Patres Meritorum vim Sanctis interdum adscribunt

LXIX.

Nam constat 1. Patres sæpius non satis distinctè, ac minus propriè & commodè fuisse locutos. 2. Aequivocè merendi verbo usus esse, ut idem illud ipsis sonuerit ac consequi.

LXX.

Ambr. Quemadmodum hoc patet ex verbis Ambrosij, dicentis, Si Latro *Serm. 52.* paradisum meruit, cur non mereatur veniam Christianus? Et Bernhardus. Non est, quòd jam quæras, quibus meritis speremus bona, præsertim cum audias apud Prophetam: Non propter vos, sed propter me. *Bernh. super Cant. Serm. 68.* Ego faciam dicit Dominus: *Sufficit ad meritum*, scire, quod non sufficiat meritum.

LXXI.

Sed videamus etiam, quibus fucis & coloribus suam thesin de Sanctorum invocatione Pontificij colorare & illinere soleant. Sed præcipua duntaxat delibabimus.

72. Palma-

LXXII.

Palmarium illud est, quod distinguunt inter λατρείαν, δαλεία & ὑπερδαλείαν: Mariæ quidem ὑπερδαλείαν: Sanctis δαλείαν: Deo & Christo λατρείαν deberi dicuntur.

LXXIII.

Etsi enim in fontibus Hebræis diversa sunt vocabula, quæ vel servire, vel idem significant, ac inclinare reverentiæ causa, supplicare, adorare: tamen sine discrimine utraq; Deo tribuuntur.

LXXIV.

Idem enim ille *Deus*, qui dixit: Dominum *Deum* tuum adorabis: dixit etiam: Invoca me in die tribulationis Psal. 50, 15.

LXXV.

Et cultus ille, quo *Deum* prosequimur, sacris in literis δαλείας termino haud rarò indigitatur, Matth. 6, 24, Act. 20, 19. Rom. 7, 6. & 25. 16, 18. 1. Thess. 1, 9.

LXXVI.

Ac vicissim λατρεία ad servitium accommodatur, quod hominibus etiam præstatur: ut patet ex versione LXX. interpretum. Levit. 22. & 29. Numer. 23. & 29.

LXXVII.

Quid quod ipsi Pontificij jam pridem hoc discrimen exploserunt: *Comment. docente Ludovico Vive, duo isthæc verba δαλείαν & λατρείαν pro synonymis à probatissimis Græcis scriptoribus accipi.*

in libros August. de civit. Dei.

LXXVIII.

Præterea hoc ipsum discrimen convellunt ipsi Romanenses, dum Mariæ ac Sanctis in suis acclamationibus, & invocationis & adorationis: & λατρείας & δαλείας cultum expressè tribuunt, ut patet ex ijs, quæ ex ipsorum libris supra citavimus.

LXXIX.

Quod verò secundo loco ogganniunt, honorem Invocationis non eo modo & gradu Sanctis attribui, quo DEO: id verò frivolum & nugatorium planè est.

LXXX.

Cultus enim Invocationis non duplex, sed unus & simplex in sacris describitur, qui soli Deo & nulli creaturæ dependi debeat: ac proinde in novam blasphemiam incurrunt Romanenses, dum cultum aliquem Invocationis præter & citra, imò contra scripturarum autoritate comminiscuntur, qui in gradu inferiore Sanctis præstandus sit. Quicquid enim soli Deo proprium est, id nullo prorsus modo, sive æquali live inæquali aut inferiore creaturis adaptari potest.

B 3

81. Quod



LXXXI.

Quod enim Christo etiam secundum humanam naturam Cultus adorationis debetur; illud fit propter arctissimam illam unionem personalem duarum naturarum in Christo, quâ humana natura, in ὑποστάσει τῆς λόγῳ unicè subsistens, unum prorsus & ἀδιαίρετον cum divina naturâ constituit ἕνωσάμενον, quod uno eodemq; λατρείας cultu colitur & adoratur ab hominibus, Angelis & Archangelis.

LXXXII.

Et prodit se hac in parte Diabolica prorsus Iesuitarum impietas, qua illi per detestandum Sacrilegium, Christum ratione assumptæ humanitatis, Adorationis gloriâ spoliare conantur: & interim Mariæ virgini, eandem Majestatem acceptam referunt.

LXXXIII.

Argumentantur præterea Romanenses in similitudine principum huius mundi, ad quos non immediate licet introrumpere, sed patronis & advocatis opus est. Sic autem illi nobis quoque non licere sine advocatis, Sanctis, adire Deum.

LXXXIV.

Qualia labra, tales lactucæ. Ex more hominum, ad Dei ipsius naturam arguantur miseri: Sed respondemus ἰ. κατὰ συγχώρησιν. Esto: Deum adire non licere sine aduocato: Quid igitur? Num sanctis statim hoc elogium debebitur, quod illi sint hi advocati, & Mediatores inter nos & Deum.

LXXXV.

Abfit, & abfit longissimè: Christo & soli quidem Christo hoc debetur, ut per ipsum accedamus cum fiducia ad Patrem:

LXXXVI.

Ad Christum verò hunc ut perveniamus, nullis opus est advocatis: Nam ipse ultro nos invitat, utq; veniamus præcipit: Venite ad me omnes &c. Matth. 11. 28.

LXXXVII.

Refellit, hanc similitudinem Ambrosius, sic scribens in cap. 1. Rom. Solent pudorem neglecti Dei patientes, misera excusatione uti, dicentes: per sanctos posse iri ad Deum, sicut per comites pervenitur ad Regem. Age numquid tam demens est aliquis, aut salutis suæ immemor, ut honorificentiam Regis, vindicet comiti, cum de hac re si qui etiam tractare fuerint inventi, jure ut rei, damnentur majestatis: Et isti se non putant reos, qui honorem nominis Dei deferunt creaturæ, & reliquæ
Domi

Domino conservos adorant. Nunc idè ad Regem per tribunos & cõ-
mites itur, quia homo est utique rex & nescit, cui debeat Rempub. cre-
dere. Ad Deum autem promerendum, quem utique nihil latet, omnia
enim merita novit, suffragatore non est opus, sed mente devota.

LXXVIII.

Producunt porrò Romanenses pro confirmatione suæ sententiæ
nubem quasi testimoniorum ex Patribus coactam, docentium Sanctos
orare pro Ecclesia, ideoq; invocandos.

LXXXIX.

Sed procedit argumentatio ex falsa hypothesi, quæ nondum est con-
firmata: Nempè Patribus, quicquid illi statuerint, statim esse creden-
dum.

XC.

Deinde ne ipsi etiam Patres hæc in parte omnes consentiunt. Eam
enim improbavit Ambrosius, ut patet ex loco jam citato: Dubitant de
hoc ipso & Origenes, & Augustinus.

XCI.

Sic quòd universalem Ecclesiæ consuetudinem eundem cultum San-
ctorum approbare garrunt, nimis est desultorium, & fide historica
caret.

XCII.

In Veteri enim Testamento, & hinc à Mūdi constitutione, Sanctorum
Invocationem non fuisse in usu, Eccius ipse testatur, eò quòd tūm Pa-
tres fuerint in Limbo, non in Cælo.

XCIII.

Elapsi ergo fuerunt quatuor millia annorum circiter, quibus de
invocatione Sanctorum Ecclesiæ Dei nihil constitit.

XCIV.

Similiter idem Eccius largitur, nec temporibus Apostolorum eam
fuisse in usu, aut ab Apostolis traditam, ne viderentur ambitiosi.

XCV.

Et quid tūm postea: Fuerit consuetudo pervetusta, Num igitur bo-
na, laudabilis, scripturis consona? Minimè verò: Est enim pervetustus
etiam error: Et Christus non dixit: Ego sum consuetudo: Sed Ego sum
veritas: ut quodam in loco scribit Cyprianus.

XCVI.

Sed est & aliud, quod suo commento prætendunt Aduersarij:
nempè Ad sanctorum Invocationem, multa facta esse miracula: Ergo
vel indè eam ut piam & Deo gratam stabiliri.

97. Quana.

XCVII.

Quamquam verò inficias minimè imus, ad memorias & sepulchra Martyrum, & aliorum Sanctorum ædita fuisse miracula, plura tamen ficta, quam vera: non tamen statim fuerit consequens, ab ipsis sanctis, eorundemq; reliquijs ea fuisse edita.

XCVIII.

Quod si enim vera illa fuerunt miracula: tùm causa eorum efficiens est Deus ipse: Causa finalis: non Inuocatio sanctorum, non cultus reliquiarum: Sed Confirmatio illius doctrinæ, quam in vita illi sunt professi, & suo sanguine contestati.

XCIX.

Sin fictitia fuerunt miracula, illusionibus Satanicis ex permissione diuinâ, hominibus obiecta: Quid quæso hoc ad confirmationem Articuli fidei.

C.

Obvertunt & illud: Virorum mutuas preces implorari à fidelibus: Quid nî etiam liceat sanctorum intercessionem efflagitare?

CI.

Sed diversissima est facti utriusq; ratio: Prius illud præceptis nititur. 1. Tim. 2, 1. Iac. 5, 6. promissionibus gaudet. Gen. 20, 7. Iob, 42, 8. Exemplis constat: Abrahæ pro Sodomitis: Gen. 18. Pauli pro socijs in navi Act. 27. Hoc verò posterius nihil tale habet.

CII.

Concludimus ergo Cultum sive Invocationem sanctorum, Scripturis Sacris repugnare; Orthodoxæ & vetustiori illi Antiquitati adversari, multis denique impietatum ac sacrilegiorum scaterere erroribus.

CIII.

Tibi æterne Deus, Pater Domini ac Servatoris nostri Iesu Christi: Tibi Fili Dei, Christe Ihesu: Tibi Spiritus Sancte: Tibi inquam uni ac Soli Deo debetur laus, honor, gloria & inuocatio, in secula æternitatis uniuersa.

A M E N.

4/1935 a


ULB Halle 3
001 541 250



56







23

DISPUTATIO XXIII.
& Ultima.

De
CVLTV SANCTORVM

*Ex Article XXI. & ultimo Confessionis
Augustanae.*

ad cujus positiones

Sub Prasidio

LEONHARTI HVTTERI, S. Theos
logiae Doctoris, & Professoris publici:

Respondebit

M. JOHANNES HERMANNUS
Oetingensis Rhetus.

Mense Majo, horis locoq; solitis.



WITEBERGÆ,
Typis M. Georgij Mulleri,
Anno cl^o l^o XCVIII.

